

CHRISTIANVS ARCHIEPISCOPVS MOGVNTINVS.



Christianus à Bucke ob magnarum rerū peritiam Archiepiscopus Moguntinus electus fuit. Erat etiam corporis robore et singulari facundia conspicuus. Itaque Fridericus Imperator eū suū cancellariūm constituit, atque res maximas Imperij ei administrandas commisit. Postea etiam pontifex eum suum Legatum per Germaniam ordinavit. Eo autem tempore Episcopi aliquoties copiarum duces erant, atque Cæsaris nomine exercitus ducebant. Vnde Christianus Anno 1172 copias apud Brabantinos colligens in Italiam profectus est, ac Tusciam & Lombardiam Imperatori rebelantes compescuit. Accidit quandoque cum prælium iniicitur, ut Christianus armis conspicuus sua manu nouem fortissimos hostium milites trucidarit, ac magnam suę fortitudinis laudem impetrarit. Paritate ratione etiam Bononienses secum decertare ausos superauit, atque eorum urbem in potestatem redegit.